

## PROOEMIUM

## §1

Quanta denique, iuxta ea quae ad commendationem logicae dicta sunt, sit ipsius necessitas atque utilitas, ut hic Albertus commemorat,<sup>1</sup> multis rationibus convinci oportet. Primo quidem per ipsius definitionem, quae 'discernendi ratio' est, ut in Topicis Boethius ait,<sup>2</sup> intendens quod est ratio docens qualiter de quolibet discernendum sit. Discretio autem ignoti per cognitum investigatio est, alteri alterum comparando tamquam causam vel principium, effectum aut signum, iuxta processum Aristotelis in suo Analyticorum primo.<sup>3</sup> Quia igitur quaelibet scientia sum aliquo istorum modorum agit processum, consequens est quod cuilibet doctrinae logicae necessaria sit.

Huic et adiuncta est alia ratio per logicae distinctionem, quam II Primae philosophiae exprimit Commentator dicens<sup>4</sup> quod communis quaedam est, modum generalem usitatum sciendi in qualibet scientia docens, definire scilicet, divideret syllogizare, alia quidem propria, quae cuiuslibet doctrinae proprius est sciendi modus, sicut alius est doctrinae practicae sciendi modus, et alius speculativae. Hanc non omnes scientiae de necessitate accipiunt, sed communem; neque eam ut principium, sed tamquam organicum instrumentum omnes inevitabiliter habent, teste ipso Averrori, I De physico auditu.<sup>5</sup>

Praeter has ratione alia succedit per logicae distributionem, quae, ut in Topicis fatetur Boethius,<sup>6</sup> in duas partes distribuitur: quarum una inveniendi scientia dicitur, quam 'topicam' graeci vocant; alia iudicandi scientia est, quam graeci 'analyticam', latini vero 'resolutoriam' dicunt. Constat autem quod de noto ad ignotum absque inventionem non devenitur, neque id quod inventum est absque iudicandi scientia diiudicatur; cum igitur in qualibet scientia haec fiant una cum resolutione effectum in causas, consequens est quod ipsa logica cuilibet scientiae necessaria sit, quae invenire, diiudicare et resolvere docet.

Si quis autem descriptionem scire accipiat, quae est 'per demonstratione intelligere', demonstratio autem est ex primis et veris atque causis, ut in primo Posteriorum<sup>7</sup> ~~libro Aristoteles perscrutatur.~~

(Aliam), quae est ultima, deducet rationem, quoniam sola logica ex quibus primis et ex qualibus veris, et quas causas docet demonstrare, ut inductive liquet attento ipsius Philosophi processu in loco allegato, una cum potentia demonstrandi per omnia causarum genera, ut in II Posteriorum<sup>8</sup> apertissime declaratur.

Neque tantum necessitas, quinimmo et utilitas, ut consequens est facillime comprehendi potest, multiplici attentō malo quod ex illius ignorantia provenit. Unum quidem est a via <sup>er</sup> vitatis recessus. Nam Anaxagoras et Empedocles, Democritus et Leucippus aliique philosophorum plurimi inter per se et per accidens distinguere nescientes, de quibus logicus tantum tradit doctrinam, in viam falsam et erroneam deverterunt, nihil simpliciter generari aut corrumpi dicentes, ut in I De physico auditu Aristoteles clare deducit.<sup>9</sup>

Aliud insuper malum est ad stultitiae deformitatem accessus, quoniam stulto medico assimilatur Commentator, II Primae philosophiae,<sup>10</sup> eum qui ante logicam alias scientia quaerit; de quodam sui temporis medico narrans, qui, data medicina, librum accipiens legit, et mortuus est infirmus. Prius -inquit- medicinae librum inspicere debuit quam potionem dare; ita prius est logica quam alia scientia quaerenda.

Istis terium annectitur malum, quod est docendi atque disputandi impotentia. Nam artifices logicam nescientes, propter quid suis assentiunt scibilibus ignorant, nec qualiter contradicentes impugnare possint, aut eis respondere debeant, intelligunt, cum haec omnia per logicam doceantur. Inquit enim Philosophus in Sapientiae prologo<sup>11</sup> quod signum scientis est posse docere; constat autem quod docere non potest qui scibilis rationem nescit exponere; hoc autem nescit qui logicae regulas ignorat atque principia. Hi enim ad instar ignis comburentis et nescien-

tis se comburere in scibilibus concludunt, se tamen nescientes concludere, quia concludendi, syllogizandi et demonstrandi logicae **regulas** ignorant.

Denique, quod ceteris peius est, hominem a contemplatione retardat. Intellectus quidem contemplari non potest nisi contemplationis **principia** noverit, sciatque in id devenire quod contemplari quaerit; constat autem quod logicam ignorans principia contemplationis aut viam in ipsum contemplatum nescit.

Ex quibus et ex aliis faciliter deducendis rationibus logicae utilitas atque necessitas manifestatur; et hoc sub typo et figura tantum.

## §2

Particulariter autem in sex libros eam modo mirabili Aristotelem distribuit. Quorum primus categorias praedicamentales substantiae, **quantitatis**, **qualitatis**, **relationis**, **actionis**, **passionis**, **ubi**, **quando**, **situs** et **habitus** per varias univocas, aequivocas ac denominativas significationes concludit.

Secundus affirmationum et negationum omniumque uno sermone significabilius per nomen et verbum, ex quibus enuntiatio constat, subtiliter narrat, quem peritissimus Aristoteles Perihermenias nominavit.

Tertius Priorum liber dicitur, qui categorice et hypothetice tam recte quam circulariter secundum omnem modum **compositivum** et **divisivum** ad nullum determinatum genus contractum doctrinales regulas tradit.

Quartus, discursus litigiosos in his quae sunt per se et per accidens secundum omnia fallaciarum genera a veris et iustis syllogismis documentis pulcherrimis separat.

Quintus, topicorum argumentorum sedes, fontes sensuum et origines dictionum, enthymematicas rationes probabilesque syllogismos sub multiplici obiectionum serie pandit

Sextus, qui Posteriorum dicitur, demonstrationum universalium et

particularium diversa genera secundum quid et simpliciter, causam et effectum, demonstrandique potentiam ex medio definitivo, tam identico quam causali, modo mirabili docendo manifestat.

Horum nullum ad praesens exponere curabo, sed solum Isagogas Porphyrii, quae Victorinus de graeco in latinum transtulit; 'isagoga' enim graece, latine 'introductio' dicitur. Ideo liber Porphyrii qui praedicabilia continet, isagoga dicitur ad Categorias Aristotelis, id est: introductio ad Praedicamenta eius. Ut igitur nominati Aristotelis libri suam expositionem facilius accipiant, ab ipso Porphyrio initium sumam, qui non solum in logicam Aristotelis, verum et in totam philosophiam eius cunctos scientiarum amatores, sicut et Chrysaorium discipulum eius, multa gloria atque felicitate introducit. Non quidem virtute propria, sed Illius tantum qui est alpha et omega, principium et finis, Deus benedictus trinus et unus, semper et ubique regnans per infinita secula seculorum, amen.

## CAPITULUM 1

## DE LOGICA

## §1

Cum sit necessarium Chrysaori... <1, 1-8>. Iste est libellus Universalium Porphyrii, introductorius ad scientiam praedicamentorum ceterorumque librorum logicalium Aristotelis, qui more aliorum librorum dividitur in prooemium et tractatum, qui incipit ibi:<sup>1</sup> videtur autem neque genus.

Prooemium, in quo Porphyrius ponit intentionem suam et ordinem intentionis, dividitur in tres partes, iuxta numerum trium conclusionum quas intendit.

Prima conclusio est haec: ad logicum pertinet determinare de universalibus secundum rationem definitivam ipsorum. Secunda conclusio: ad logicum non pertinet determinare de universalibus secundum quod universalia sunt, ibi:<sup>2</sup> altioribus quidem. Tertia conclusio: ad logicum pertinet determinare de universalibus secundum quod praedicabilia sunt, ibi:<sup>3</sup> illud vero quemadmodum.

Prima conclusio arguitur sic: ad logicum pertinet determinare de omnibus his quorum notitia est necessaria ad doctrinam praedicamentorum Aristotelis, et ad definitionum assignationem, et omnino ad ea quae sunt utilia in divisione et demonstratione; sed notitia definitiva universalium est necessaria ad omnia ista; igitur ad logicum pertinet determinare de universalibus secundum rationem definitivam ipsorum.

Tenet consequentia cum maiori, quia consideratio logici versatur circa praedicamenta et definitiones, divisiones et demonstrationes. Minor autem declaratur; et primo quod notitia definitiva universalium est necessaria ad doctrinam praedicamentorum Aristotelis. Cum enim praedicamentum sit coordinatio generum et specierum et differentiarum, non potest perfecte cognosci ordo illorum nisi sciatur quid est genus,

quid species et quid differentia. Praedicamenta autem decem sunt, quorum unum est substantiae et reliqua sunt accidentium, de quorum numero quaedam sunt accidentia propria et quaedam communia; ideo necesse est scire quid est accidens, per quod intelligitur accidens commune, et nosse quid est proprium, per quod importatur accidens proprium. Constat autem quod genus, species, differentia, proprium et accidens sunt universalia; ergo notitia definitiva universalium necessaria est ad doctrinam praedicamentorum Aristotelis.

Secundo ostenditur quod notitia definitiva universalium est necessaria ad definitionum assignationem. Quoniam sola species definitur, cuius definitionis partes sunt genus et differentia, ut probatur VII Metaphysicae<sup>4</sup> et VI Topicorum;<sup>5</sup> accidentia autem, sive sint propria sive communia, non ingrediuntur veram definitionem, ut probatur ibidem; ideo oportet scire quid est species, et quid genus, et quid differentia ut sciatur illud cuius est definitio et quae sunt partes definitionis. Iterum oportet scire quid est accidens et quid est proprium, ut cognoscantur ea quae non ingrediuntur definitionem.

Tertio declaratur quod notitia definitiva universalium est necessaria ad ea quae sunt utilia in divisionibus, quoniam genus dividitur in species, aliquando per differentias essentielles, aliquando per differentias accidentales proprias, et aliquando communes. Exemplum primi, ut quando dividitur animal in hominem et brutum per rationale et irrationale; exemplum secundi, ut quando dividitur per bipes et quadrupes; exemplum tertii, quando dividitur per album et nigrum et medio colore coloratum. Sicut enim animalium aliud rationale et aliud irrationale, ita animalium aliud bipes, aliud quadrupes, aliud album, aliud nigrum et aliud medio colore coloratum.

Quarto manifestatur quod notitia definitiva universalium est necessaria ad ea quae sunt utilia in demonstrationibus. Nam demonstrationes ingrediuntur definitiones, subiecta et passionem. Definitiones,